

trum Idem etiam dominus h^{er}mannus episcopatum Paderbornensem
per electionem in comendam suscepit. Civitas etiam Coloniensis,
sicuti predecessoribus suis, ita et ei infesta fuit. Cui viriliter resis-
tit pro iure et libertatibus ecclesie, appellando ad curiam roma-
nam ubique triumphando. In duplicibus festis et supra ffe. ^{semper}
missam celebravit magna cum devotione, sacrosque ordines prop-
ter innatam sibi humilitatem sepe dedit cum devotione et lacri-
mis, sequique dedisset, si comites et alii ammoniales eius non impe-
divissent, quia non libenter viderant tantam humilitatem in domino
suo etc. Idem magnificus archiepiscopus dominus h^{er}mannus Maxi-
milianum ducem Austrie et Burgundie, filium videlicet Frederici
imperatoris, de bono placito eundem et electorem Aquisgrani un-
xit in regem Romanorum, in presencia imperatoris patris sui
et aliorum principum, cum maxima solemnitate, Anno
Domini 1486 Dominica secunda post festum Pasche. Unxit
insuper eodem die coniugem suam legitimam in reginam
que fuit filia ducis Mediolanensis etc. Nam prius ea eius uxor
legitima fuit unica filia laudi ducis Burgundie ex qua suscepit
filium et filiam. Filius eius Philippus duxit uxorem filiam
regis Hispanie, et filia eius habuit maritum filium eiusdem
regis Hispanie. Tandem hic inclitus ac reverendus pater domi-
nus Hermannus, huius nominis quartus inter pontifices Colo-
nienses, vir gloriosus et bene litteratus et ab omnibus terre cir-
cumvicinis principibus plurimum honoratus, postquam eccle-
siam Coloniensem strenue et laudabiliter 27 annis rexit, obiit
in castro suo Popledorpe in crastino sancti Lucie evangeliste.
Anno Domini 1508, sepultus Colonię in ecclesia sancti Petri.